

RHYTHMI MUSICI

PRO  
TRAGŒDIA,  
*cujus TITULUS:*

CAJUS JULIUS  
CÆSAR

O B  
AMBITUM REGIÆ POTESTATIS  
IN SENATU OCCISUS.

OEniponti 3. & 6. Septembris 1762.



PERMISSU SUPERIORUM.



Apud Michaelem Antonium Wagner, Cæsar. Regiæ Apost. Majestatis Aulae  
& Universitatis Typographum ac Bibliopolam.

TRAGEDIA  
COSI STRENGA  
CAUSAS JULIA  
CÆSAR  
AMBIVM REGIE POTESTATIS  
IN SENATE OCCURS.

PERMISSU SCERIOLVM

Agap-Michælis Amicis W. 1691. Cæs. Regis a. V. 1691. Majestatis Apoll.  
a. 1691. T. 1691. T. 1691. T. 1691.



# MUSICÆ PARS I.

Affectatæ Divinitatis Studia.

Personæ: *Salmoneus*, *Colax*, *Eubulus*, *Chorus subditorum*.



I.  
ive, flore!

Cœli rore

Te foecundent sidera,

Mera fundant nectara.

Novus Deus!

Amor meus!

Te adoret subditæ

Prono genu Græcia.

*Salmon.* Ergo me Deum agnoscit fidelis subditus? *Colax.* Hic te adorat lunato poplite Elidis populus. Aut quis audeat se tibi opponere? ingratum caput ferendum est fulmine. *Salmon.* Sic est. Nimis mihi angustum regnum Elidis; igitur eluctandum est ad dignitatem supremi Numinis.

Est grande quid in posthumis  
Habere nomen seculis,

Per ardua

Facinora

Et homo Deus fit;

Quem mundus suspicit,

Hinc fungus audit futilis,  
Et plenus lenti phlegmatis,

Ni grandia

Molimina

In se suscipiat,

Se astris inferat.

Sed quid Eubulus frontem contrahit? cur oculos in terram deicit? Num forsitan tibi uni dispiceat, quod omnis Græcia approbat? *Eubulus.* Casus humanos dum considero; Cræsum in pyram mihi objicio. Plena sunt omnia volumina, quam male vapularit arrogantia. Licetne proloqui, ut sentio? *Salmon.* Dandum aliquid senio. *Eubul.* Ne gravate feras, si minus placeo: In sincerum Aulicum non eadit adulatio; quia suo consulere debet Domino, non loculo proprio.

Ne quid minus, ne quid nimis:  
Dux prostant regulæ;  
Cur incedis tam sublimis,  
Ut pro Deo feras te?  
Quisquis ultra vires capit,  
Sero sapit.  
Suo damno iaterit.

Cervus semel sauciatus.  
Raro tollit cornua:  
Vix tum, cum est irritatus,  
Nova init prælia:  
Homo tamen post peccatum  
Castigatam.  
Novo fastu pejor fit.

Sine velis nulla havis  
Audet mare scindere;  
Sine alis nulla avis  
Audet sursum tendere:  
Homo surgit supra statum  
Sibi datum:  
Dic, quid magis stultum sit?

*Colax.* Audistin senis deliria? cur non vibras in casem rancidum tua fulmina? *Eubul.* Petita est a Rege loquendi licentia; hinc loquendum est, ut dictat libertas aurea. *Colax.* Os opprime senex edentule. Liceat, o Jupiter! homini frigus excutere. *Salmon.* Eloqueré.

*Colax.* O fungè trepide  
Ex mero frigore!  
Vix folium in arbore  
Movetur moto aere;  
Jam tremis,  
Et gemis,  
Per vota millena jam devoves te.

Non statim fulminat,  
Si cœlum intonat;  
Non omne ferit spiculum,  
Sed sape cadie irritum,  
Vix jactum;  
Distractum  
In saxo adverso debilitat se.

An non Diespiter,  
Et magnus Marspiter,  
Saturnus, grandis Hercules,  
Apollo, Bacchus Bugenes  
In astra  
Per castra  
Per facta heroa insinuant se.

*Salmon.* Reste ais Colax fidelissime. Tu incipis ante ætatem sapere. Eubulus laborat senectutis vicio, quæ carpit, quidquid est invisum deliranti cerebro.

I.

Est morbus hominis  
Senectus debilis.  
Quot in fronte cogit rugas:  
Tot in mundo putat nugas,  
Et somnia  
Vanissima  
Existimat Mysteria  
Sanctissima.

2.

Quod phlegma objicit;  
Hoc statim metuit,  
Semper carpit, quod non capit,  
Semper culpat, quod non sapit,  
Deliria  
Phantastica  
Defendit plus, quam delphica  
Oracula.

Sed hodie ostendam regioni Elidis, quo assurgere possit virtus hominis. Erigatur pons in via regia; spargam, quam vere vivo, genuina fulmina. Cognoscant omnes subditi, quis honor deferendus sit supremo Numini.



## MUSICÆ PARS II.

Corrigendæ Ambitionis desideria.

Personæ: *Eubulus. Filius natu major. Chorus subditorum.*

*Eubul.* Desperatum est, o subditi! Rex vester insultat supremo Numini. Vereor, ut evadat virgam vindicem, ad plectendum crimen ambitus semper vigilem. Nihil non egi, ut flecterem ad meliora consilia. Sed incassum omnia, ubi animum occupat superbia.

### CHORUS SUBDITORUM.

I.

O cæcitas Mortalium  
Ploranda!  
O vanitas Terrigenum  
Damnanda!  
Quos fastus fascinat:  
Hos polus reprobat,  
Et virtus aversatur.

2.

Non pila sic ab aere  
Inflatur:  
Non navis sic in æquore  
Jactatur:  
Ut pectus hominis,  
Dum semel stimulis  
Honoris agitatur.

*Filius natu major.* Sub tuo magisterio, o avuncule! didici, non ultra, quam decet, sapere. O ut pater in se redeat, & ab aliorum lapsu exemplum capiat.

## A R I A.

I.

Quam felix qui per prævia  
Fit cautior pericula!  
Ex simili discrimine  
Futuro prudens tempore  
A pedica  
Jam posita  
Se novit revocare.

2.

Non Phaeton, non Icarus,  
Horrendis mundum casibus,  
Paternum pectus præcoce  
Non funestassent funere,  
Si prævia  
Prudentia

Se noissent præservare.

*Eubulus.* Remunerentur sidera, quod patris sacrilega detesteris vestigia;  
At frater minimus, parentis æmulus ad similia jam assurgit facinora;  
ad audenda eadem animat Patris stultitia.

## A R I A.

I.

Parentis insanos tumores,  
Et stultos honoris amores  
Sectatur filius;  
Dum velut simius,  
Quod vidit, imitatur.

2.

Si vitulus audit rugire,  
Et bovem in cornua ire:  
Mox hic petulciet,  
In pratis saliet,  
Ut bovem æmuletur.

3.

Molossum vix audit latrare,  
Jam catulus prurit baubare:  
Per patris stolidia  
Trahetur vitia,  
Quod audit, assequitur.



## MUSICÆ PARS III.

Decumanæ Superbiæ poena.

Personæ: *Salmoneus. Sacrificulus, & reliqui, qui prius.*

*Salmon.* Erectus est pons æneus, quem ascendam Salmoneus, Jupiter Fe-  
retrius. Obstupescat omnis Græcia, quanta sit Salmonei po-  
tentia, a cuius dextera rotantur fulmina, Jovis æmula. Vita  
& mors in meo erunt arbitrio, sic volo, sic jubeo.

## A R I A.

I.

Per grandia  
Ingenia  
Ascenditur ad ardua:

2.

Non aquila,  
Sed Noctua  
Pavescit solis lumina:

Qui

Qui tentavit primus mare;  
Orbi visus est errare;

Sed postea

Audacia

In gloriam se vertit.

Quantum illa lucem querit;  
Tantum haec a sole perit.

Non aquila,

Sed ulula

Per radios se perdit.

*Filius natu minor.* O pater! licetne & mihi ad divinitatem ascendere, ad quod audendum moveor patris facinore. *Salmon.* Agnosco pullum ab aquila non degenerem. Vincis fratrem natu maximum, noctuam humilem. *Filius natu min.* Eja frater! Ganymed, & Cupido parvulus; Castor & Pollux frater in cœlo est geminus. Si his licuit, quid nobis nefas sit?

1.

Sunt fratres gemini

In cœlo inclytū

Deunculi.

Cupido licet parvulus

Et Ganymed, & Epaphus

Evecti sunt ad sidera,

Cur ego non ad æmula

Affurgam studia?

A R I A.

2.

Si pater Jupiter

Et mundi arbiter

Quid suspicer?

Sequatur patrem filius;

A Deo sim Deunculus,

Sim Ganymed, ambrosium

Qui fundat patri poculum;

Hoc decet filium.

*Natu major.* Eubulus me alia docuit, qui ultra statum sapit, despit. *Salmon.* Recede degener vipera: ni experiri malis paterna fulmina. Tu parve Jupiter in pectus hoc invola; meus eris Ganymed in Jovis Regia. Sed quid sacrificulus? quid portendis ex avium visceribus? *Sacrif.* Rex Elidis! expavesce iram Numinis, quam detexi in sacrificio. Heu! male metuo. *Salmon.* Nugas tuas, quamvis non aestimo, tamen scire aveo. *Sacrif.* Cum exta inspicarem, vidi Salmonea ex curru cadere exanimem. Avertat Jupiter omen pessimum. *Salmon.* Ridete simplicissimum.

2 U A D R O.

*Salmoneus.*

Age currum Deus scande,

Imitare fulgura,

Jacta faces, sparge mortes

Dignus Jovis filius.

Quisquis audet dubitare,

Sentiat vim fulminis.

*Colax.*

Et quid homo possit, pande,

Nova sparge fulmina,

Hæc potestas decet fortis;

Dignus Jovis æmulus.

Qui recusat adorare;

Sentiat vim fulminis.

*Eubulus & Sacrific.*

Resipisce Rex amande,

Time Jovis fulgetra,

Disce homo tuas sortes;

Dignus Jovis facibus.

Cessa demens te jactare;

Si non sapis, interis.

*Salmo-*

*Salmoneus & Colax.*  
Quisquis audet dubitare,  
Et negare,  
Quod sim Deus Elidis,  
Sentiat vim fulminis,  
Et pereat.

*Eubulus.*  
Quisquis audet se jactare,  
Et volare  
Sine pennis, decidit,  
Sua culpa interit,  
Et risus fit.

*Eubul.* Superi! cœlum incipit nigrescere! Vah! nubes densantur in aere.  
*Salmon.* Non est, quod metuam, divinam Salmoneus habet potentiam.  
*Nemesis ex nubibus.* Pleatatur hominis arrogantia, ruite fulmina.  
*Salmon.* Heu! heu! pereo!  
*Sacrific.* Justo divinæ Nemesis judicio funus est Salmoneus, Rex Elidis, exemplum tragicum superbis posteris.

### *Chorus.*

Hic superbe resipisce,  
Et a lapsu lapsum disce,  
Nec adverso pectore  
Contra Deum arma te.  
Quisquis turget;  
Semet urget  
In horrenda tartara.  
Hæc si capis,  
Cur non sapis?  
Cur contemnis monita?

O. A. M. D. G.

